

buntur, quantitas vero Contributionis, pro intertentione stabilis Militiae destinatae, semper in Comitibus Regni ab una Diaeta ad aliam determinabitur; reliquis etiam praecitati Articuli 8. An. 1715. tenoribus in salvo relictis ac ultro pro confirmatis hisce declaratis.

*De Postis et Re Montana qualiter in conformitate Legum administrandis.*

Articulus 22.

Sacratissima Majestas Status et Ordines securos reddere dignata est, quod Postas intra ambitum Regni Hungariae et Partium adnexarum existentes, a Consilio Hungarici Directione, proventus vero earundem a Camera Hungarica abstrahi, nullo unquam tempore admissura sit, quin Rem quoque Montanam mox post Diaetam Camerae Hungarico-Aulicae subordinatura, Legum vero Montanisticarum Reformationem, nec non Judiciorum Montanisticorum Constitutionem et Coordinationem, communibus cum Dominis SS. et OO. Consiliis determinatura sit; oeconomica Rei Montanae regulatione, velut suo Regali, per Regiam Suam Majestatem privato arbitrio reservata.

*De Graeci ritus non Unitis.*

Articulus 27.

Sua Regia Apostolica Majestas Sacratissima clementer annuere dignatur, ut Graeci Ritus non uniti Regni Incolae in Regno hoc jure Civitatis donati, sublati in contrarium sancitis Legibus, in quantum hae ad Graeci Ritus non unitos se referunt, ad instar aliorum Regnicolarum acquirendorum et possidendorum honorum, ac gerendorum omnium Officiorum, capaces in Regno Hungariae Partibusque adnexis sint.

Juribus caeteroquin Regiae Majestatis circa negotia Cleri, Ecclesiae, Religionis, cujus exercitium plene ipsis liberum erit, Fundationum, Studiorum ac Juventutis educationis, non minus Privilegiorum ipsorum, quae fundamentali Regni Constitutioni non adversantur, prout Majestas Sacratissima a gloriosae Memoriae Majoribus suis accepit, ita eidem atefatae Regiae Majestati porro quoque in salvo relictis.

*De Articulari receptione Civitatum Temesvar, Mariae-Theresiopolis, Posegae item et Carlostadii.*

Articulus 30.

Civitates Temesvar, Maria-Theresiopolis, Posega item et Carlostadium, quemadmodum Sua Majestas Sacratissima earundem meritis palam agnitis et publica utilitate clementer permota, numero reliquarum Liberarum Regiarumque Civitatum